

# Richardus Avallone

---

## De Latinitate restituenda

---

Collectanea Philologica 4, 203-210

---

2002

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

*Richardus AVALLONE*  
(Salerno, Italia)

## DE LATINITATE RESTITUENDA

In hac insula Neapolitani sinus congressi, illustrissime Praeses, doctissimi sodales, in hac insula, quam Franciscus Petrarca in *Itinerario Syriaco* celebrat eius commemorans Ioannem<sup>1</sup>; in hac insula, quam Alfonsus Lamartine in illa celebrat fabula, quae *Gratiola* inscribitur, non solum eius spumosum litus et scopulos et arduum ascensum et rusticas domos describens, sed illam Prochythanam puellam pulchritudine atque candore a se ipso vivam et mortuam amatam immortalitati tradens<sup>2</sup>, in hanc insulam nos, sodales, convenimus non ad „esperantum” propugnandum, illam Zamenhofianam linguam, quae, anno MDCCCLXXXVII ab uno creata, ab ingenioso illo medico et philologo Polono, dico Lazaro Ludovico Zamenhof, ex singularis philologiae legibus elaborata, quamquam suos habet fautores et aliquos progressus fecit, est tamen artificiosa lingua, pseudolingua, simulacrum linguae: lingua sine exemplis, sine genere, sine memoria, sine futuro, sine litteris, sine auctoribus: lingua enervis atque exsanguis, mutila

---

<sup>1</sup> Haec Petrarcae verba in *Itinerario Syriaco*: „Vicina hic Prochita set parua insula. Sed unde nuper magnus quidam uir surrexit Ioannes ille qui formidatum Karoli diadema non ueritus et grauis memor iniuriae et maiora si licuisset ausurus ultionis loco huic regi Siciliam abstulisse”. (p. 249, sed sine numero). Vide Petrarcae *Opera*, Venetiis 1503, (Impressum Venetiis per Simonem Papiensem dictum Biuilaquam. Anno domini 1503, die uero 15 Iulii). Sed mentem intende: in hac editione Veneta Petrarcae opus, *Itinerarium* tantum inscribitur: „*Itinerarium* Petrarchae laureati Incipit ad quendam Mediolanensem” (p. 248), cum in editione Basileensi, 1581, *Itinerarium Syriacum* inscribatur: „Francisci Petrarchae *Itinerarium Syriacum*, in quo, quicquid per Europam, vel Asiam peregrinis Hierosolymitanis memorabile occurrit, diligentissime describitur”. Vide F. Petrarcae *Florentini, Philosophi, Oratoris, et Poetae clarissimi...*, *Opera quae exstant omnia...*, Basileae, Per Sebastianum Henric Petri, Anno a Virgineo Partu MDXXCI, Mense Martio.

<sup>2</sup> In illa fabula, quae *Gratiola* inscribitur, Alfonsus de Lamartine Prochythanae puellae, cui mortuae et carmen dicavit, copiose laudat pulchritudinem: gracilem formam, promissum capillum, splendidos oculos, subrotundas genas, pallidum adustumque colorem, carnosa labra, candidulos dentes, claram vocem, vividum eloquium, nec non citharae usum.

atque hians, tantummodo ad pueriliter loquendum, non ad explicite lucideque dicendum apta<sup>3</sup>.

Sed in hanc insulam convenimus, sodales, ad millesium Latinam linguam proponendam atque promovendam: Latinam linguam, illius populi Romani linguam, qui, maximus ex antiquis, suis armis totum fere subactum orbem terrarum in unum redegit; Latinam linguam, quae tot opera perfecta vel magni momenti, Plauti et Terentii, Catulli et Lucretii, Ciceronis et Caesaris, Sallustii et Livii, Vergilii et Horatii, Senecae et Taciti, Petronii et Apuleii, Martialis et Claudiani, Tertulliani et Lactantii, Ambrosii et Prudentii, Hieronymi et Augustini, expressit illuminavitque; Latinam linguam, illarum nobilissimarum linguarum, quas neolatinas vel Romanicas appellamus, matrem; Latinam linguam, et mediae et recentis et maxime illius aetatis, quae a renascentibus Latinis Graecisque litteris nuncupatur, linguam doctam; Latinam linguam, quae, a primis post Christum natum saeculis Catholicae Ecclesiae lingua universalis, post Concilium Vaticanum II, quamquam patriae linguae iuxta eam positae sunt, principem adhuc in sacris caerimoniis obtinet locum et una solaque in Actis, in Lexicis, in Commentariis, in Certaminibus imperat; Latinam linguam, quae, per se ipsa numquam mortua aut moritura, non solum renata est in linguis neolatinis, sed non neolatinas etiam nutrit atque nutrit; Latinam linguam, quae in omnium gentium conventibus de rebus Romanis primas agit partes, quin potius saepe una et libera tenet campum; Latinam linguam, quae – in necessitudinibus – inter gentes in omnium gentium conventibus de quavis re disputantibus – lingua communis, lingua universalis fieri potest, una cum Gallica, una cum Anglica, praeter Gallicam et Anglicam linguas, ad domesticas aemulationes superandas: ceterum iam duo senatores Batavi, et post eos alii, Eurolatinum proposuerunt; Latinam linguam, quae sua natura et virtutibus, copia et robore et elegantia et numero, omni aetate nervos ac lumina dedit datque scriptoribus; Latinam linguam, quae ad puerorum mentes sicut ceram formandas multum etiam adiuvat; Latinam linguam, dico Latinitatem, ipsum humanitatis nostrae fundamentum atque ornamentum!

Cum hoc igitur fuerit sitque nobis Latina lingua, cum Latinitas ipsum sit fundamentum humanitatis nostrae, quippe qui pro certo habeamus Latinam linguam suam non perfecisse summum neque humanitatem nostram a Latinitate dividi posse, omnibus viribus contendere debemus, ne Latina lingua, quasi obstet progressui, ex humana societate expellatur, ne in patria exsulet, ne occidatur, ne sepeliatur.

Ad quod propositum assequendum dicent alli de novis viis, de novis methodis, de novis instrumentis, de novis adiumentis ut Latina lingua adhuc floreat, ut magis magisque nostra sit, ut posteris tradatur.

<sup>3</sup> De „esperanto” quod dicitur vide: R. Avallone, *Contra „Esperantum” Biblicam propugno Latinitatem*, [in:] *Padre Floro di Zenzo. In memoria*, Salerno 1990, p. 63–65.

Ego vero, qui omnibus omnium gentium Latina lingua viva Conventibus ab anno MCMLVI interfui, Avenione et Lugduni et Argentorati et Romae, ne Conventus memorem Hallae Saxonum<sup>4</sup>, Avenione iterum<sup>5</sup>, Bucurestiis<sup>6</sup>, Tomis<sup>7</sup>, Melitae<sup>8</sup>, Augustae Treverorum<sup>9</sup>, Dunelmi<sup>10</sup>, Erfordiae atque Berolini<sup>11</sup> habitos, ego, inquam, quid in his Conventibus de praecipuis Latinae linguae questionibus dixerim perstrictim dicam.

<sup>4</sup> De mea oratione in Conventu Hallensi habita anno MCMLXVII mense Maio vide: R. Avallone, *Quid Africa Romae illa quae Imperii dicitur aetate dederit*, „Meander” 1967, XXII, n. 11–12, p. 449–504; „Latinitas” 1968, XVI, I, p. 63–68; „Euphrosyne” 1968, N. S. II, p. 183–190; R. Avallone, *Scritti latini* (con Appendice), LSE, Napoli, 1969, p. 87–94.

<sup>5</sup> De Conventu Avennico II vide: R. Avallone, *In praesenti rerum discrimine Latina lingua ad omnes coniungendas etiam valet gentes*, [in:] *Quatrième Congrès International pour le Latin Vivant*, Avignon du 1er au 3 Avril 1969, Aubanel, Avignon 1970, p. 195–198; „Rivista di Studi Salernitani” (gennaio-giugno 1970), 5, p. 345–351; R. Avallone, *Scritti latini*, comm., p. 37–43.

<sup>6</sup> De Conventu Bucurestiensi vide: Richardus Avallone, *Quantum Latina lingua a media usque ad nostram aetatem floruerit et floreat*, [in:] *Acta Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis*, Bucurestiis a die XXVIII mensis Augusti ad diem III mensis Septembris a. MDCCCCLXX, Bucuresti, s. a. (sed MDCCCCLXXI), p. 135–154; R. Avallone, *Nuovi scritti latini* (con Appendice), Boccia editore, Salerno, 1979, p. 13–77.

<sup>7</sup> De Conventu Tomitano vide: R. Avallone, *De Ovidii elegiaci humanitate et arte*, [in:] *Acta Conventus omnium gentium Ovidianis studiis fovendis*, Tomis a die XXV mensis Augusti MCMLXXII habiti, N. Barbu, E. Debroin, M. Nasta curantibus, Bucurestiis, 1976, p. 91–102; R. Avallone, *Nuovi scritti latini*, comm., p. 87–106.

<sup>8</sup> De Conventu Melitensi vide: R. Avallone, *Quantum nostra origo humanitasque Latina novam Europam facere possit*, [in:] *Acta omnium gentium ac nationum Conventus Latinis litteris linguaeque fovendis*, A die XXX mensis Augusti ad diem IV mensis Septembris a. D. MDCCCCLXXIII, Melitae, In Aedibus Universitatis Melitensis, MDCCCCLXXVI, p. 60–69; R. Avallone, *Nuovi scritti latini*, comm., p. 107–117.

<sup>9</sup> De Conventu Treverico vide: R. Avallone, *Qui qualesque apud Germanos media aetate scriptores Latini fuerint*, [in:] *Acta omnium gentium ac nationum Conventus quinti Latinis litteris linguaeque fovendis*, A die XXX mensis Augusti usque ad diem V mensis Septembris anno MCMLXXXI Augustae Treverorum habiti... Cooperante R. Schnur edidit N. Sallmann, Domus Editoria Ranardi Brune Leichlingae, 1984, p. 153–160 (vide etiam in hoc volumine, p. XII, meum *Hymnum in urbem Augustam Treverorum*); R. Avallone, *Nuovissimi scritti latini*, Palladio editrice, Salerno, 1991 (adhuc imprimuntur).

<sup>10</sup> De Conventu Dunelmensi vide: R. Avallone, *De Alcuino Eboracensi maximo renovationis Carolinae artifice*, [in:] *Acta omnium gentium ac nationum Conventus sexti Latinis litteris linguaeque fovendis*, A die V ad X mensis Augusti anno MCMLXXXV Dunelmi habiti, *Britannia Latina*, ediderunt O. Dilke et G. Townend, Kendaliae, MCMLXXXVI, p. 99–108; [in:] *Laurea Corona. Studies in honour of Edward Coleiro*, Edited by A. Bonanno, Amsterdam, 1987, p. 201–215 (vide etiam p. V).

<sup>11</sup> De Conventu Erfordiensis-Berolinensi vide: R. Avallone, *Qui qualisque historicus atque scriptor Franciscus Petrarca in illo opere, quod „De viris illustribus” inscribitur, exstiterit*, [in:] *Acta Academiae Latinitati fovendae Conventus Internationalis (De studiis classicis, quae a Petrarca usque ad Melanchthonem in multis partibus Europae floruerunt)* a die I usque ad diem V mensis Augusti MCMLXXXIX (adhuc imprimuntur).

Avenione dixi Latinam linguam in syntaxi, in stilo, in lexico renovandam: in syntaxi extra vetustissimos et iniustissimos Ciceronis et Caesaris fines obviam Sallustio et Livio, obviam Senecae et Tacito saltem egrediendum; in stilo non solum Ciceronem et Caesarem, sed etiam Sallustium et Livium, Senecam et Tacitum, sed etiam, si necesse fuerit, omnes cuiusque aetatis scriptores, praestantissimos scilicet, et paganos et Christianos imitandos; in lexico, cum sine ulla dubitatione audendum ad nova nostrorum temporum verba exprimenda, tum vero Latinae linguae tot tamque praestantium scriptorum, Christianorum maxime, redendas tandem voces<sup>12</sup>.

Lugduni Latinam syntaxim dixi, ut iam Avenione, non contrahendam, sed locupletandam, non mutilandam, sed legibus et exemplis sive Ciceronis et Caesaris, sive Sallustii et Livii, sive Senecae et Taciti saltem esse redintegrandam; de Latina pronuntiatione dixi non classicam, non Ciceronianam, non „historicam” vel pseudohistoricam, saeculis victam esse effodiendam, sed Italicam, Romanam, Catholicam, adhuc vivam et victoricam, esse servandam: potius quam infirmis argumentis restituatur pronuntiatio, suo quamque gentem pronuntiare licere modo: Italice Italos, Gallice Gallos, Hispanice Hispanos, Anglice Anglos, Germanice Germanos; De Latina lingua augenda, ut iam Avenione, dixi ad sensus animi nostros, ad necessitates nostras, ad progressus nostros in omni re plene exprimenda maxima utendum esse libertate, sed in primis Latinam linguam Latina lingua esse renovandam Romanis, praetera ceteros, Christianos reddendo scriptores; de Latina lingua denique docenda dixi oportere ad aetatem nostram accomodari rationem, sed non illam grammaticam rationem repudiandam, sed potius cum grammatica activam esse copulandam.

Activa ratio non dubiam – dixi – habet utilitatem, dummodo ne a grammatica abhorreat. Quod si omni modo alterutram repudiare volumus, activa, non grammatica ratio repudiari potest: Latina lingua enim grammatica ratione tantum non morietur et omnes suas ostendet et tradet virtutes. Qui Latinos scriptores recte pleneque intellegere, qui Latine dicere in animo habet, non activa, sed grammatica ratione utetur! Ceterum fautores activae rationis in Latina lingua docenda ne fugiat hanc rationem non esse tam novam, cum iam Raticii et Comenii XVII saeculo fuerit, nec meliorem quam Raticium et Comenium habituram esse exitum. Quos activae rationis fautores ne id quidem fugiat, caput rei non esse rationem, sed magistrum: nimis de ratione agitur, utrum activa an grammatica esse debeat, parum de magistro: magister tamen dux et princeps est etiam docendi Latinam linguam: quid enim valet ratio, activa aut grammatica sit, sine magistro? Optimos demus magistros, optimos habebimus discipulos: iam ipse Comenius oculos convertit et in magistrum, maxime Catholicam Ecclesiam omnes suas et nuperrime contulit curas: in magistrum igitur, magis quam in rationem, in magistrum, magis

<sup>12</sup> Vide: R. Avallone, *Latinam linguam in syntaxi, in stilo, in lexico renovemus*, [in:] *Premier Congrès International pour le Latin Vivant*, Avignon 3–6 Septembre 1956, Aubanel éditeur, Avignon, 1956, p. 118–120; R. Avallone. *Scritti latini*, comm., p. 11–15.

quam in pueros, mentem intendere oportet: per magistros Latina lingua vivet, per magistros Latinitas non morietur<sup>13</sup>!

### Argentorati haec inter alia dixi:

Novis autem adiumentis ad Latinam linguam docendam diebus nostris uti posse magistros nemo est qui ignoret: taceri enim non potest, inter alia docendi subsidia, haud parva grammophonii utilitas, quod adulescentes cum colloqui tum maxime pronuntiare docet. Liceat mihi tamen notare hunc mechanicum magistrum quodam modo obscurare magistrum humanum, machinam quodam modo occidere hominem, qui solus sicut mollem ceram format fingitque discipulos. Magistri labor, magistri sudor, magistri vox nulla metallica aut mercenaria voce substitui potest: Lunam, Martem, quodvis sidus errans sane teneamus, magister semper erit princeps scholae, artifex doctrinae, faber civium! Non erunt bene instituti alumni nisi ii erunt magistri qui in docendo non solum grammophonio aut chartis muralibus aut lineis aut imaginibus utantur, sed in primis ingenium, doctrinam, animum largiantur discipulis<sup>14</sup>.

### Romae haec inter alia:

Romanis nostra donemus, „cinematographum” et „televisionem”, „aëroplanum” et „atomicum globum”, sed ne sua eis eripiamus: Latinae Linguae, dico, ne Christianum eripiamus lexicon, tamquam impurum corruptumque sit. Christiani scriptores, priusquam damnentur, cognoscendi, intellegendi, aestimandi sunt: Christiani scriptores, ut Tertulliani verbis de Christiana veritate utar, hoc unum gestiunt, ne ignorati damnentur. Nam haud pauci quantum Christiani valeant scriptores adhuc ignorant eosque ignoratos damnant: quae sententia falsa, iniqua, ingrata est. Christiani enim – Tertullianum dico et Lactantium et Ambrosium et Augustinum et Hieronymum et Prudentium, ut de aliis taceam – non solum re, sed syntaxi, sed stilo, sed lexico optimi Latinitatis fuerunt scriptores: quam veritatem tantummodo qui eos ignoret aut mala fide iudicet negare potest. Qua „classicismi” opinione valde dolendum est, etiamnunc, et doctissimos viros lexico saltem Christianos contemnere scriptores: inter quos displicet mihi memorare ipsum Antonium Bacci, summum Latinitatis auctorem eundemque eminentissimum Praesulem, cuius ingenio, cuius doctrinae illud pretiosissimum debemus *Lexicon* [...] At ego, potius quam cum Antonio Bacci, tanto Latinitatis auctore tamque eminenti Praesule, de his contendam rebus, eum oro, ut ex Ciceronis arce exeat tandem, Christianis saepius occurrens scriptoribus: quod difficile non erit ei qui re vera – idem *Lexicon* testimonio est – saepe Ciceronem deserti, ut Plautum et Terentium, ut Lucretium et Catullum, ut Varronem et Caesarem, ut Sallustium et Livium, ut Vergilium et Horatium, ut Ovidium et Tibullum, ut Senecam et Tacitum, ut Quintilianum et Plinium, ut Petronium et Apuleium, ut Suetonium et Gellium, ut omnes fere et priscae et „classicae” et serioris Latinitatis paganos sequatur scriptores. Fidenti animo exspecto

<sup>13</sup> Vide: R. Avallone, *Quantum et quo modo Latina lingua etiam recentes litterarum et doctrinarum illustrare communicareque possit progressus*, [in:] *Deuxième Congrès International pour le Latin Vivant*, Lyon-Villeurbanne du 8 au 10 Septembre 1959, Aubanel éditeur, Avignon, 1960, p. 138–143, praesertim p. 142; R. Avallone, *Scritti latini*, comm., p. 17–25, praesertim, p. 24–25.

<sup>14</sup> Vide: R. Avallone, *Ut Latina lingua vivat et vincat, libertas et concordia sunt maxime necessaria*, [in:] *Troisième Congrès International pour le Latin Vivant*, Strasbourg du 2 au 4 Septembre 1963, Aubanel 1964, p. 63–65, praesertim, p. 63–64; R. Avallone, *Scritti latini*, comm., p. 27–32 praesertim, p. 29.

[...] Quae vera sit, quae viva, quae varia, quae docta, quae felix, quae illustris, Christianem defendo Latinitatem<sup>15</sup>.

Quae omnia, nec ea solum, in Avennico, in Lugdunensi in Argentoratensi, in Romano Conventu dixi, haec hodie Prochitae, in hac amoenissima insula, confirmo nec indulgeo docendi methodis aut praeceptis, quae deminutio linguae Latinae sint. Immo clara voce affirmo vitandum vel inutile esse omne verbiloquium, sterilem esse academiam, qua de lingua Latina rhetorice tantum dicere videamur et dicamur. Meo iudicio supervacanea de quavis methodo disputatio inter doctos: non est methodi quaestio, sed quaestio hominum: qui docent, sed hominum, qui administrant vel imperant.

Cum in Europa, praesertim in Gallia, in Belgio, in Germania, in Britannia, in Austria, in Hispania, in Lusitania, in Dacoromania, in Finnia, cum in ipsa Russia, in ipsa America, in ipsa Sina, in ipsa Senegalia<sup>16</sup>, in ipsa Australia<sup>17</sup> Latina lingua in honore sit, in Italia contra, ut iam Bucurestiis non sine dolore dixi<sup>18</sup>, in Italia eheu, Latina lingua languet, iacet, perit: quasi mora atque impedimentum progressui, quasi hostis societatis, quasi rei publicae periculum sit, Latina lingua magis magisque im dies premitur, reprimitur, opprimitur.

Si magistros illos, qui Latinam linguam in magno honore habent; si illa eorum opera, et philologica et aethetica et historica et lexicographica, quae etiam a doctis viris exterarum gentium valde laudantur; si carmina aliquorum poetarum, si aliquorum scriptorum paginas; si haud multos iuvenes adhuc in Latinas litteras incumbentes; si *Certamen Capitolinum*, si *Certamen Vaticanum*, si *Certamen Catullianum*; si omnia *Acta Apostolicae Sedis* et

<sup>15</sup> Vide: R. Avallone, *Christianam defendo Latinitatem!*, [in:] *Acta omnium gentium ac nationum Conventus Latinis litteris linguaeque fovendis* a die XIV ad diem XVIII mensis Aprilis a. MDCCCCLXVI Romae habiti, Romae, MDCCCCLXVIII, p. 358–360; R. Avallone, *Scritti latini*, comm., p. 33–35.

<sup>16</sup> De conventu Senegalensi anno MDCCCCLXXVII Dacariae habito vide: „Africa et Roma”. *Acta omnium gentium ac nationum Conventus Latinis litteris linguaeque fovendis* a die XIII ad diem XVI mensis Aprilis a. MDCCCCLXXVII Dacariae habiti, Romae, MDCCCCLXXIX. Vide etiam meam *Salutationem Africanam* in illa occasione Leopoldo Sédar Senghor, Praesidi Senegalensium Rei publicae et primi Africani Conventus, missam una cum mea Latina inscriptione eidem Praesidi, clarissimo humanistae atque poetae, dicata, in R. Avallone, *Nuovi scritti latini*, comm., p. 145–146, 196.

<sup>17</sup> Vide enim *Petitionem* quam Senatus Mundialis Ordinum Equestrium Praesidens, Paul, Baro Neuman de Kara Bagh, nuperrime misit *venerandis Praesidenti et Senatoribus Indiarum Occidentalium Batavicarum*... „ut Senatus Indiarum Occidentalium Batavicarum statim leges extraordinarias introducat pro manutentione et protectione nationis, terrae et circumfusorum aeris et aquarum, ut adversus »domus vitreae effectum« contendatur”, „Bulletin of Confederation of Chivalry” 1991, Nr. 2, Sydney (Australia), p. 1–3.

<sup>18</sup> Vide R. Avallone, *Quantum Latina lingua a media usque ad nostram aetatem floruerit et floreat*, [in:] *Acta Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis*, Bucurestiis, a. MDCCCCLXX, comm., p. 154; R. Avallone, *Nuovi scritti latini*, comm., p. 38.

illud Opus Fundatum „Latinitas”, quod, a Paulo VI Pontifice anno MCMLXXXVI conditum, per Abbatem Carolum Egger Praesidem arx et propugnaculum Latinitatis factum est, exceperis, in Italia Latina lingua cotidie contemnitur, deseritur, fugitur, tamquam publica pestis perniciosque sit.

Latina lingua e schola inferiore exclusa vel expulsa: miculae, particulae, frustula tantum exstant, lacrimae rerum; in superiore deiecta gradu atque mutilata, invaserunt in Universitates, et cotidie invadunt, una cum novis disciplinis, tot disciplinulae, quae, saepe tam insolentes quam vanae, libertate heu! mutandi rationem studiorum populariter concessa, Latinae linguae viam intercludunt eam superantes: a summo et ab infimo verum perpetratum, et etiam perpetratur, Latinicidium!

Sed cuius culpa? Iuvenum? temporum? machinae? technologiae?

Quodammodo iuvenum culpa: non negamus; sed negandum non est maiorem esse culpam quorundam magistrorum vel pseudomagistrorum, quorundam hominum rerum publicarum peritorum vel imperitorum!

Iuvenes – id fateamur, dicamus, clamemus! – iuvenes sunt victimae ignarae, hostiae insciae, utilia quamvis generosa instrumenta malae rei publicae administrationis.

Latina lingua, olim maximum bonum, summa gloria, honos decusque Itolorum, ex improvise, post saecula et millennia, facta est summum periculum damnumque Italiae: delenda Latina lingua, ut Italia vivat et procedat!

Capite damnata Latina lingua a quibusdam hominibus in re publica exercitatis, a quibusdam magistris, a plerisque discipulis, omne impedimentum sublatum est: salva Italia, liberi iuvenes, via patet progressui!

Post Latinicidium in Italia – mirabile dictu! – nihil iam est difficile, omnia facilia, omnes iuvenes boni, optimi, ad quamlibet doctrinam artemque aptissimi: maiores nostri mediocres fuerunt, multa ignoraverunt, parum fecerunt, nos spernendi, removendi, sepeliendi, sed praesentia futuraque sunt iuvenum huius aetatis! Ipsi sunt artifices omnium rerum, domini caeli et maris et terrae, arbitri sapientiae et ignorantiae!

Ex quibus verbis meis aliquis cogat me nostrorum contemnere iuvenes, me in eos indignatione vel odio inflammari, sed haec est falsa, iniusta, iniqua interpretatio: quod si in me aliquid est indignationis (non dico odii), aliquid doloris, aliquid furoris, id est contra quosdam magistros, contra quosdam populares, qui dando, qui nimium dando, qui magis magisque dando, ut in sella curuli quam diutissime sedeant, hodiernos iuvenes deminuunt, offendunt, fraudant. Iuvenes nostri – hoc magna voce dico – non sunt nobis inferiores ingenio, voluntate, facultatibus: quare inutilis est liberalitas, damnosa est largitio, turpe est facinus scelusque tollere iuvenibus quod nobis datum est: meo iudicio delictum est laesae iuventuti dare panem, cum tollatur animus; dare pecuniam, cum tollatur mens; dare futurum, cum tollatur praesens praeteritumque!



Quousque tandem iniuriam damnumque inferemus iuvenibus, iniustum eis concedendo ius, concedendo libertatem, licentiam, arbitrium eligendi disciplinulas pro disciplinis, doctrinulas pro doctrinis, litterulas pro litteris, contra se, contra societatem, contra patriam? Num regi potest societas aut res publica, quae innumerabiles numeret doctores sine doctrina; medicos sine medicina, iuris peritos sine iure, architectos sine architectura?

Tempus est opponendi molem murumque inundanti consuetudini nimium largiendi, tempus est restituendi iuvenes iuvenibus, magistros magistris, Universitatem Universitati, totam Scholam Italicam Scholae, ne patria cadat, ut biblica domus super arenam aedificata!

Lusimus satis: in re tristi etiam ludamus non oportet: non posumus, non debemus, nolumus!

Latinicidium vero causa et origo fuit tot errorum tantaeque dementiae, Latinicidium via fuit ad doctrinacidium, ad iuvenicidium, ad Italicidium: redeamus igitur ad Latinam linguam, redeamus ad Latinitatem! Latinitas nostrum praeteritum, nostrum praesens futurumque: Latinitas nostra ipsa humanitas, Latinitas nos ipsi<sup>19</sup>!

Prochyta igitur, ex hac insula, „unde surrexit Ioannes ille, qui, formidatum Caroli diadema non veritus, huic regi Siciliam abstulit”<sup>20</sup>, hoc puncto temporis, quo ruinam vidimus et viximus, quo ruinam videmus et vivimus utriusque falsae doctrinae, cum fascismi, tum maxime communismi, ex hac insula tollatur vox: una salus populis Latinitas, Latinitas illa, quae non solum Italicitatem et Graecitatem, sed Christianitatem complexa est copulavitque: Latinam linguam igitur in integrum restituendo, restituamus Latinitatem, Latinitatem dico et paganam et Christianam!

<sup>19</sup> De statu Latinae linguae in Italia vide: R. Avallone, *Quid Conventus Bucurestiensis omnibus dixerit gentibus, quid dicat Italia*, [in:] *Acta Convivii Italici de Latinitate*, Salerno 28–29 aprile 1971, Salerno, 1973, p. 45–49; R. Avallone, *Nuovi scritti latini*, comm., p. 79–83, praesertim, p. 81–83; R. Avallone, *Annus Vergilii annus restituendae Latinitatis*, [in:] R. Avallone, *Nuovissimi scritti latini*, comm. (adhuc imprimuntur).

<sup>20</sup> Vide Petrarcae *Itinerarium Syriacum*, [in:] *Petrarchae opera*, Venetiis 1503, comm., p. 249.